

admirando creauit opificio Deus primã naturæ materiam aquam, adeò mollem substantiam atque debilem, & ex eata- men fructum solidissimum metallum, lapides, &c. vt ex mollissimo durissimum, & ex aqua ignis proueniat supra captum intellectus humani, non tamen supra naturam. Etenim Deus admirabiles foetus creauit ex ea matre, vt apparet in hominibus si conspiciantur etiam in sua matre, quisque reperietur peculiaris ingenio proprietateq; , non iuxta corpus, at pro sua conditione complexionis.

De agro, radicibus & arboribus mineralium.

CAP. III.

CREAVIT Altissimus elementum aquæ, vt esset velut ager in quo radices arborum mineralium ex suis seminibus ortæ figerentur, ac inde truncus & rami protruderentur in terram, vt infra latius. Separauit igitur à reliquis tribus, vt non in aere, non in terra, neque in cœlo, sed per se liberum corpus existeret in inferiori globulo positum, vt sit supra terram, & in ista centrũ habeat in quo fun-